



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE EX IPSO QUO APOSTOLICA NUNTIATURA APUD
REM PUBLICAM**

SANCTI THOMAE ET PRINCIPIS INSTITUITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Ex ipso quo fungimur munere animarum saluti prospiciendi consequitur ut diligentissime curemus publicas necessitudines et amicitiae rationes inter civiles civitates et hanc Apostolicam Sedem ineundas et initas fovendas et prosperandas. Eam ob causam, re bene considerata et perpensa, vi et potestate Nostra Apostolica per has Litteras hoc ipso die apud Rem Publicam Sancti Thomae et Principis vulgo «São Tomé e Príncipe» Apostolicam instituimus Nuntiaturam, eidem deferentes omnia iura, privilegia, honores, praerogativas, indulta, quae ad eiusmodi Legationes pertinent. Quae autem hic edicimus et statuimus, volumus nunc et in posterum vim habere, contrariis quibuslibet non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Decembris, anno MCMLXXXIV, Pontificatus Nostris septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana